955

MEMORIA THALAMI
IN XL. ANNOR. CONNVBIO
MATRONAE NOBILIS
ANNAE MARGARETHAE
DE
LVDEWIG

NATAE DIE X. OCTOBR. CIↄ Iↄ C LXX.

MORTVAE DIE V. MENS. MARTII CIↄ Iↄ CC XL.

QVAM REPETIIT

MARITVS

SAVCIO CALAMO

TRISTI TVRBATAQVE MENTE

IOAN. PETRVS DE *LVDEWIG*

FRIDERICIANAE CANCELLARIVS

REGIS CONSILIARIVS INTIMVS

ET REGIMINIS SACRI AC CIVILIS IN HOC DVCATV

ORDINIS IVRECONSVLTORVM PRAESES

AERARII PAVPERVM DIRECTOR

HEREDITARIVS DOMINVS BENDORFII, PREZII, GATTERSTADII.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

HALAE SALICAE

TYPS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

CIↄ Iↄ CC XL.

FIdisſima CONIVX, moeſtisſimae eheu! memoriae. Quas gratias moribundae ſoluere nequiui, non tam repentinae mortis, quam fallacis & turbidi morbi cauſa; illas, inter ſingultus & lachrymas, in funere praeſto, animo tantopere adflicto; ut dulcius eſſet, tecum mori, quam mortem TVAM dolere impatienter. QVADRAGINTA ANNORVM matrimonium coluimus. Intra hoc ſpatium, tot TIBI officiis me obſtrinxiſti, quae enumerare, idem eſſet, quam ſaucia indicare uulnera, quibus obitus TVVS pectus meum percusſit. Fuiſti parentum tuorum VNIGENA, quam illi non elocaſſent homini, TIBI ignoto ac tuis peregrino; niſi amor in me TVVS conſenſum

eorum conciliaret &, uerum fatear, extorſiſſet. PATER tuus ſeptuagenario maior fuerat, cum TE mihi deſpondiſſet. *Michael* KVHNIVS, doctor *medicus*, *archiater* olim Saxonicae uiduae electoralis & *phyſicus* Freiburgenſis. Vir, quem ciuitas uniuerſa coluit amauitque; pauperes autem ſeruatorem dixerant ſuum; cum largarum eleemoſynarum, tum auxilii ergo, gratis praeſtiti, in peſtilentisſimis etiam morbis, graſſantibus ſuo tempore. Difficultatis cauſae plures, ad patris animum flectendum plene; ut daret, quam requiſiueram anxie. Fuerat filia VNICA, adamata parentibus; quibus graue omnino, a ſe eam auelli & Halam abduci, in alienam prouinciam. Commendauerant eam *formae* ſingularis praeſtantia; *uerecundia* & integritas uitae; morum *ſuauitas*; gratia oris; animi *ſinceritas* & *prudentia*; rerum *muliebrium*, *muſicae* etiam, peritia ac cultus: ne quid ad *elegantiam* ſui ſexus deeſſet. Quibus acceſſerat ſpes, non ſpernenda, opum *heredis unicae* olim. Quo ipſo ad matrimonii felicis complementum poterat deſiderari nihil. Vnde, idem mecum expetentium, numeri ſat multi; meis fortunis, ut tum erant, ſuperiores omnino. Vicit TVVM pro me ſuffragium; ut compos fierem uoti, pro connubio ſuſcepti. Deduxi TE Halam in domum, non meam; ſed alienam, hoſpitis, mihi fauentisſimi. Sed vix adueneramus in hac urbe, ecce! nuntius aduolat Freiburgo; PATREM TVVM, de mortalibus meritisſimum ſenem, deceſſiſſe apoplexia & cauſam mortis

fuiſſe

fuiſſe abſentis filiae deſiderium. Illud enim fuerat eius, in diſceſſu noſtro, ultimum uale, diuinatio uerior: *ite, ualete, uiuite, creſcite; ſit* DEVS *uobiscum, uti mecum fuit, puero, adoleſcenti, iuueni, uiro ac ſeni. Votorum nunc ſumma eſt; diſſolui & eſſe cum* CHRISTO. *Spes mihi nulla; uos uidendi, inter mortales, porro. Sed fiducia firmior, gaudendi uobiscum inter coelites olim.* Vaticinii huius memoria TE reddidit exſanguem uere, ex eius intellecto lugubri euentu & ueritate, in ipſius ſacri uatis obitu. Diſceſſimus ambo Hala Friburgum, iuſta perſoluturi piisſimi PATRIS funeri. Fuerant ibi paratae exequiae amplisſimae, mille incolis congregatis, qui funus, ex aedibus, foro contiguis, ſequuti, tumulum circumdederunt, in templi meditullio paratum. Vera ſcribo idque de mortuis, in uiui nullius gratiam. Concione funebri a paſtore primario, quem ſuperintendentem dicimus, ad finem perducto, cum grandaeui ſenis *uitae curriculum* legeretur, de ſacris roſtris, coetum uniuerſum auſcultaſſe plorabundum & mille hominum genas, pauperculorum maxime, maduiſſe lachrymis, quibus utrique nos iam fueramus immerſi. Funere peracto, MATREM, Hornianae atauitae gentilitatis, rogauimus; uellet illa nobiscum ſarcinulas colligere &, patria deſerta, in unam nobiscum coire familiam Halae. Non difficilis fuerat alma MATER, ad idem ſentiendum nobiscum; quod, marito defuncto, nemo ſupereſſet, qui filiae unicae non deberet poſtponi longis interuallis. Eosdem igitur

lares & focos coluimus ac continuauimus, per integrum VICENNIVM & ſecutam OCTOAGENARIAE MATRONAE mortem an. CIↃ IↃ CCXX. Mater filiae ſuae ſolatio fuerat; filia matrem recreauerat ſuo conſortio. Acceſſerant matri ſubinde nouae delitiae ex connubio noſtro. Dulcisſima pignora, nepotuli. Quos peperit mater; auia excepit natos precationibus & uotis. Noui gaudii cauſae nouae quotidie; quum ſoboles ſoboli annuatim fere ſuccederet; infantia autem maiores adoleſcerent, in omni flore ac uirtute. Auiam, inſtar matris, colendo &, ſi quid erratum infantiliter, in auiae ſinum fugiendo; ut iras matris pacaret aut uerteret illas, quod plerumque accidit, in riuulos lachrymarum, effuſos erga innocentiam infantilem, leuioris culpae ream, neſciam peccare tamen. Prima ſoboles maſcula fuerat, in cunis morte nobis praerepta. Exceperunt hanc FILIAE QVINQVE numero; ſuperſtitibus tantum TRIBVS; aliis mature obeuntibus, in aetate tenella. Interea innotui egomet ſanctioribus *curiae regalis* ADMINISTRIS; ad quos uiri maleuoli mihi ſtruxerant iter, ſuo quidem malo meoque commodo inſigni. Iuerat circa annum CIↃ IↃ CC. fama per uniuerſam propemodum Europam; de nouo PORVSSIAE REGNO uel condendo uel inſtaurando. Intellexeram ego idem hoc pridem antea. Nam an. CIↃ IↃ XCV. uocatus Fridericianae profeſſor, biennio poſt, rogaueram identidem patronos, ad indulgendum mihi iter, ad pacem RISWICENSEM. Hoc quidem fine; ut, rerum iuriumque

que publicorum Europae ſtudioſisſimus, redirem doctior peritiorque interpres negotiorum, inter gentium uariarum legatos & pacificatores. Euenerat ibi, neſcio quo fato, hoc ſcio, mihi meaeque muſulae fauſtisſimo; ut, ex colloquiis noſtri legati, Schmettauius fuerat, intelligerem hoc idem, iam tunc; de REGALI dignitate, pace regum ac rerumpublicarum Europae, BRANDENBVRGICAE genti inferenda. Illico inceſſerat animo meo conſilium; fore hoc litterarii ſpeciminis inſigne argumentum, intractatum praeſertim aliis; quo poſſem ingenii mei uires experiri in academica arena, redux in Germaniam. Ex uniuerſae igitur *Europae regnis* in loculos meos colligere inſtitui: qua *uia* quoue *tempore* ac *loco* quodlibet *regalem dignitatem* meruiſſet? *Tria*, ſolicitius inueſtiganti, remedia ſe obtulerunt: CODICILLVS & adpellatio Romani IMPERATORIS; deinde PAPAE INDVLGENTIA, aemula priori; inſtituta demum eorum, qui, neutro ſalutato, REGALE DIADEMA, adplaudentibus ſubditis, SIBI IPSI adſeruerant, ſua, non aliena, autoritate. Neque tamen ultimos fefellerit ideo ſeruandi diadematis ſpes; ſi quidem populi reique publicae potentatum nacti eſſent; qui reſponderet amplitudini & adparatui regali. Interea, poſt triennium, CIↃ IↃ CC. certioribus factis: imminere nunc regalem noui PORVSSIAE REGIS inaugurationem ipſam. Communicaui aduerſaria mea cum LILIENFELDIO, uicario cancellario, huius prouinciae; ut, quid ipſi uideretur de re, ab eo requi-

rerem & expectarem. Non ſolum adprobauit ille inſtitutum: ſed etiam autor ſuaſorque fuit; ne ſupprimerem argumentum; ſed producerem illud in academicam lucem. Ipſe praeterea, beneuolentiae nouo genere, commendauerat mihi filium ſuum, iuuenem ingenii ſolertisſimi; qui, me praeſide & moderatore conflictus, prodiret mecum in litterariam arenam. Quid fit? Horreo ſcribere. Iuris tum antiſtes primarius, mihi olim fauentisſimus; ſed offenſisſimus nuperrime ex eo, quod peregrinae uirginis nuptias propinquae ſuae praetuliſſem. STAHLIVS, amicisſimus ſemper mihi collega, eo tempore prorectoris munere defungebatur. Hunc adit urgetque belli huius promachus; ut profeſſorum ſuffragia colligeret; de academico actu mihi interdicendo. Inanium ſpecies fuerat haec: argumentum hoc nouum eſſe maximique momenti, hoc quidem tempore, quo illud tantum non mediis incudibus eſſet impoſitum. Rem igitur uideri periculi plenisſimam: ut conſultum magis ſit, opuſculum proſcribere, quam tueri diſputando. Regesſi ea, quae debui & potui. Sed cum intellexiſſem, partium ſtudia uincere innocentiam: non parui inique decretis. Sed, narrata hiſtoriola academica, opuſculum ipſum; quod, de AVSPICIO REGVM, caute inſcripſeram, purpuratis rerum adminiſtris transmiſi & *Berolinum* RHETIO & *Regiomontum* FVCHSIO, ubi noui regni inſtiterat ſolennis inauguratio. Interea homines, TIBI mihique infenſisſimi, TE, FIDISSIMA CONIVX,

minis

minis metuque obruerant; fore, ut egomet, maritus tuus, poenam incurrerem, neſcio quam; foretque infauſtum TVI connubii auſpicium. Sed excepiſti TV haec tela firmo pectore, in mei gratiam; imo, generoſa mente, retorſiſti oſoribus; quod nulla dubitares, de *felici* huius conflictus *exitu*, quem excitaſſent maleuoli atra bile. Hoc primum ac praecipuum ſpecimen fuerat TVAE in me *fiduciae* & *amoris*, nullis aliorum calumniis & inſectationibus expugnati. Expleta etiam ſpes TVA abunde. Tertia ſtatim hebdomade poſt, ex quo me damnauerant patres conſcripti; adfertur academiae, per celeres hebdomadales, regalis codicillus, his uerbis conceptus: *ueſtrum non fuerat, proſcribere opuſculum; multo minus tale, quod cauſam publicam tuetur, nullo offenſae alicuius reperto ueſtigio. Proſcriptio ueſtra caſſa & irrita ſit; cum adiiciali mandato; ne quid tale fiat inpoſterum.* Erat ſolatii TVI meique hoc fauſtum initium. Verum, nouo REGE, e Porusſia reduce; Berolinum ego uocor; epiſtola accepta ſubſcriptaque manu regis, quam aperueram meticuloſus ideo; ne ſcena forte rerum mutata eſſe uideretur, in mei odium & perniciem. Ambiguus rerum, ingreſſus fueram iter contenderamque SCHOENHVSIVM, ubi rex diuerterat. ILGENIVS, at quantus ille togatae militiae heros! qui rerum harum, iuxta WARTENBERGICVM comitem, autor actorque fuerat, cum intrarem eius conclaue, me manibus uerbisque complexus eſt humanisſimis. *Ter*, inquit, *legi*

opu-

opuſculum tuum, de regum auſpicio. Parum eſt, quod reperi apud alios, tu ſolus ſatisfeciſti argumento ex aſſe. Vtinam fuiſſet illud ante biennium mihi ad manus! Sed etiamnunc illud utile; ad perſuadendum illis rem nouam, inde ab aliquot ſeculis adhuc inauditam. Abi, expectat te comes de WARTENBERG, bona tibi uerba plura dicturus ideo. Parui ac iui. Binis uerbis auditis, aperit ille mihi; REGEM ipſum uelle, ut in eius conſpectum prodirem. Praeit CAMERARIVS, ego ſequor, timidulus ualde: ne academicus peccarem in curiale decorum. Verum praeuenit REX ſermonem meum: gratam ei commendatamque a rerum adminiſtris operam meam, adhibitam in regali argumento. Certiſſimum me eſſe poſſe, de regali indulgentia, etiam deinceps. Poſt igitur, quam altero die redieram ad ILGENIVM, mihi aperuit ille: REGEM me numero ſuorum conſiliariorum, cum trecentorum imperialium ſalario, ſponte adſcripſiſſe; quod, inſtar incrementi, reportarem quotannis Berolino. Properaueram, redire huc; ut fidisſima coniux & particeps fieret fortunarum neque uaticinii fiduciaeque, in me poſitae, poſſet illam poenitere. Offendi TE, laborantem partu, quem etiam feliciter es enixa, edito filiolo, quem, poſt ſacram initiationem, fata nobis inuiderunt. Triſtia ſic laetis mixta; ne mens ſe efferret nimium ageretque nouus honor ac praemium uel alterutram partem in transuerſum. Vt uero maecenas meus, maximi nominis, ILGENIVS, cum noui ſeculi ingreſſu mihi

meis-

meiſque lucubratiunculis ſemper fauit; ita, tot etiam luſtris poſt, continuauit ille priorem in me animum ſuum; ut nihil fere eueniret; ubi ſcriptore iuris publici conſulto opus eſſet, quod, regali iuſſu, calamo meo non demandaretur. Quod magis eſt, conſuluit ille plerumque etiam academicos alios; quorum tamen reſponſa iterum communicauit mihi; ut ultimam rei manum imponerem & propugnatam a me cauſam, iuſſu regali, darem in lucem. Atque hic ille FOMES fuit; qui animum meum ad uigilias & induſtriam inflammauit; imo impulit, ad profundendum opes in BIBLIOTHECAM, omni librorum & codicum, ex uniuerſa propemodum *Europa*, conductorum, adparatu ſumtuoſisſimo, inſtructam; ut nihil poſtea ſubſidii deeſſet, ad tractandum & reſpondendum curialia quaeque argumenta. Factum eſt ita; ut ſtudia mea redderem curiae regali commendatisſima; ne ulla in re, ſiue domi ſiue foris illa eueniſſet, muſula mea obmuteſceret. Toties inde & fere quotannis ſemel iterumque Berolinum uocatus; ideo, ut principis quoque tabularium ad manus eſſet & purpuratis ego magis magiſque innoteſcerem. Vnus tamen ILGENIVS, ex pluribus, mihi ſatis fuerat, omnium publicorum negotiorum autor actorque ſtrenuus adeo; ne opus ei eſſet adiutore VLLO. TIBI, fidisſima coniux, *aeris profuſio* in tantam librorum molem nunquam diſplicuit: diſplicuerunt autem

tibi*Berolinenſia itinera*, quae tuliſti etiam aegerrime. Licet enim, ne ſemel quidem, uacuus rerum inde rediiſſem; contra ſemper, cum *munuſculis* & *congiario*, ſim dimiſſus, quorum aurea *numiſmata* familiae conſeruo etiamnunc, imo quandoque *noua ſparta* graduque *dignitatis* nouo auctus ſimul; poſt habuiſti tamen omnia haec *conſortio* meo. *Malo*, inquiebas idemtidem, *cum marito & liberis eſſe, in quotidiano, modicae ſortis, conuictu uſuque; quam opibus & honoribus augeri aliunde ac ſaepius a meis ideo diuelli.* Quo ultimo fidiſſimae uxori nihil eſſe poterat moleſtius & intolerabilius, magisque inimicum, ſuo iudicio, foederi connubiali legique, a DEO ſancitae; quam uiolare nequeat humana poteſtas. Inter has altercationes obmutui ſaepius, pectore tuſo; quod omnino deberem dediſſemque tori ſociae fidisſimae. Contigit aliquo tempore; ut, in grauiori cauſa, auocarer protinus; ut adeo, parum ſalutata coniuge, diſcederem hinc: ne illa obicem itineri obiiceret, ſupra commemoratum. Sed intolerantia abſentiae meae uicit decorum; ut illa, improuiſo conſilio, cum pediſſequa itineri ſe daret contenderetque ante Berolinum; quam litteras expectaſſet mei ibidem aduentus. Ruit illa, primo ibi adſpectu, in lachrymas & amplexus meos; ut, ſi quid praeceps egiſſet, illud amori condonarem intenſisſimo; qui ipſam huc detuliſſet. Tegere & diſſimu-

ſimulare uolui hanc hiſtoriam & ideo urgentior rogaui abitus mei indulgentiam ab aulae proceribus. Sed proditum fuit arcanum purpuratis. Qui non ſolum hoc coniugalis amoris ſpecimen commendauerant matronis aliis; ſed etiam traxerant moras misſionis meae ideo. Ex quo enim uxorem mecum haberem, cauſae minores nunc eſſe,ad reditum maturandum. Fateor, me aliquantisper commotum eſſe animo & exprobraſſe TIBI, fidisſima coniux, tuum iter. Quod cum intellexiſſet MAECENAS meus & ipſe, multoque magis uxor illius, matrona eiusdem cum coniuge mea in ſuum maritum fidei, obiurgabant acrioribus uerbis rigorem meum admonueruntque me grauiter; ne,quod coniux amori dediſſet meo, uerterem in iras & odia, indignisſima connubiali foedere. Sic ambo facile conciliati, discesſimus Berolino, cum impenſis itinerum & quotidie adſignato aere, diaetam dicimus; praeterea duobus iterum numiſmatibus honorati centum aureorum. Abſit,ut haec narrem alio fine, quam in TVI, fidisſima coniux, gratiam & perſeuerantiam in me amando. Erat praeterea aliud, quod tibi non minus displicuerat in meo uitae genere. Vigiliae nimiae meae, ſaepius, in muſarum cultu ac elucubrandis libellis, a principe demandatis, tractae in ſeram usque noctem. Nam ante cubitum ire,quam maritus TE ſequeretur, TIBI religioni duxeras; ne horas in lecto traheres inſom-

 nes.

nes. Iunctis manibus ac uotis NVMINI commendare ſe ſuaque ante ſomnum, imaginem mortis, decentius & ſanctius eſſe, dixiſti: quam, uicibus diffractis ac interruptis. Pietas TVA haec tibi ſuggeſſerat & ordo piisſimi patris TVI, cui fueras a teneris adſuetus. Repoſui quidem; oleum operasque commendari uiris doctis; noctuam illis, ſymboli inſtar eſſe, ad agendum uigilias, obducta nocte, amicisſima muſis. Sed ſpreuiſti TV hanc ſtudii immoderationem; quod nulla uiolenta diuturna eſſent foretque conſultum magis; ſeruare uires ſenectuti, quam frangere illas in uegeta & uirili aetate. Parui ego quandoque monitis; ne uiderer precibus TVIS dediſſe nihil. Interea benigniſſimo NVMINI debemus hoc; quod protulerit utriusque tamen uitam in longisſimos annos auxeritque rem familiarem noſtram, nouis ſubinde beneficiis & rerum incrementis. Illud inprimis prouidentiae NVMINIS ſingulari eſt tribuendum: quod uiuae elocare licuerit duas filias, uiris optimis. Et gentilitiae nobilitatis &, munerum publicorum dignitate atque honore, conſpicuis. Natu maximae ANNAE SOPHIAE factus eſt maritus, CAROLVS de NÜSSLER, *Porusſiae regi a ſanctioribus conſiliis atque ſupremorum tribunalium plurium collega & comparate director:* alteram HELENAM CHRISTIANAM duxit PHILIPPVS KRVGIVS de NIDDA, *Porusſiae regis conſiliarius intimus & rerum belli*

belli ac domanialium, ſigillatim *metallicarum praeſes*. Ex *primo* matrimonio uidimus NEPOTVLOS *ſeptem*, TRIBVS ſuperſtitibus tantum; ex *altero* autem QVATVOR, efflorefcentes etiamnunc. Communis haec & mihi & coniugi felicitas fuit; ſed ultimae ſeges gaudendi uberior; quo plus otii eidem fuerat, nepotulos ſecum habendi, confabulandi cum iis, in ludo ac ioco infantili. Nihil fuerat ei dulcius; quam dicier a *balbutientibus infantulis*, *auia* aut alma *mater!* Praeterea enim parum aut nihil euenire poterat aut, quod aliae mulieres maximi feciſſent, contingere, quibus illa gauiſa eſſet nimium. Fugacibus certe & tranſitoriis rebus oblectabatur illa, uelut in transitu; ut diuerteret ita mentem; non occuparet aut irretiret illam ſeculi illecebris. Cum ante aliquot luſtra GATTERSTADIVM, praedium eſt Querfurdo uicinum, uenale eſſet meque haberet emtorem, fidisſima coniux illud, ſoluto a me pretio, occupauit in fidemque recepit ſubditos, meo nomine; quod, ex grauisſimo tunc morbo, lectulo eſſem adfixus. Cum inde redux facta eſſes requireremque a TE; quid in hac uillula gauderes aut deſiderares; regesſiſti, ſubridendo: *opes plus abſinthii habere, quam mellis.* Naturam acquieſcere paucis; reualeſcentiam meam maiorem ſibi theſaurum fore; quam praediorum umbratilia. Aliquandiu poſt redemeram BENDORFIVM, ſub uoce & haſta praeco-

 nis.

nis. Qui pagus, uti momenti maioris fuerat; ſic nouam gaudendi cauſam eamque maiorem uidebatur mereri. Reperi tamen uel ſic animum TVVM necquicquam feruentiorem. Niſi quod, eleuatis manibus oculisque in coelum uerſis, & filias & nepotulos his uerbis compellares: DEO *ſit laus & gloria!* Patri ueſtro *gratias habete, horum omnium heredes olim. Magnae diuitiae parſimonia.* Praeterea imis ſenſibus tenete edictum: *labore multa, à maioribus parta, tueri poſteros debere uirtute.* Diuinae prouidentiae haec commendanda precibus adſiduis & curandum ſedulo: ut liberi imbuantur mature ſtudio pietatis. Quot quaeſo! bona diſſipantur in altero aut tertio herede! quae exempla uos admoneant; ne, ueſtra ruatis culpa, in tale praecipitium. Quod DEVS auertat a uobis ueſtrisque aeternum. Cum *anno* CIↃIↃCCXIX. die XI. menſis *Aprilis* auguſtiſſimus IMPERATOR IMPERIALIS NOBILITATIS mihi indulſiſſet codicillos atque potentiſſimus REX illos non ſolum ratos habuiſſet; ſed etiam NOBILITATAE CONIVGIS meae ſingularem feciſſet mentionem, diplomate *anno* CIↃIↃCCXX. die XXVII. menſis *Aprilis* ſubſcripto. Tum quidem illud ſemel intellexi; ſumma uxorem laetitia ideo perfuſam fuiſſe. Non quod conſtantem illa animum ſuum mutaſſet; nullis adfici ſeculi bonis ultra, quam par eſt: ſed quod maiorum ſuorum gloriae, praecipui quodam iure, hoc eſſet dandum.

dum. Quod HORNIANAE gentilitatis NOBILITAS atauita, ob temporum iniurias, obliterata & obliuione quadam ſepulta; nunc in illa inſtauretur quaſique reſurgat, quadam anaſtaſi, poſtliminio, ob merita ſui mariti transeatque in poſteros ſine fine. Sed quorſum abripior egomet, amoris & doloris uehementisſimo adfectu. Mei ipſius obliuiſcor commoti animi perturbatione. Praeceps ac deuius excurro. Cum, uertere ſtylum, ſeligere, reſecare, mutare, emendare ſcripta, non ſit eius, qui non ſibi eſt relictus uere; ſed agitur fati lege ac acerbitate. Fidisſima coniux! uidear aliis, TVI cauſa, in hac epiſtola deſipere & inſanire. Venia eſt in furore poetis. Ego non fingo; ſed uera ſcribo: licet forte non ad cuiusuis palatum ac ſenſum. Sint iudicia aliorum. Quae demum ratio? dolere obitum matronae, in extrema ſenecta? dolere *ſeptuagenariam?* Sed caſu tangor & angor; non conſilio. Scio, connubium *quadraginta annorum* eſſe plerumque diuturnisſimum. Sed, recte amantium, hae leges; quo diutius, eo ſincerius, ſine fuco & ſimultate. Demum fruſtra orbum auxiliis eum credi: cui gener adſit filiaeque, rei oeconomicae adſuetae ab unguiculis? Mihi autem ex ultimis quae ſolatia? Cum utraeque doleant maternum obitum inſolabiliter. Vltima certe natu poſtrema, inclamat identidem: o mater! Nolui egomet, TE relinquere, neque TV dimittere me uo-

uoluiſti,a latere tuo & ſinu. Quaſi ultimum ſi fieret, ut dicebas, hoc idem eſſet, quam TIBI eripere aut diſſecare cor. Colui etiam TE, non ut matrem; ſed dominam; a cuius nutu penderem tota. Quo nexu egimus ac uiximus adhuc neque memini alicuius rei, quam mihi uerbulo exprobraſſes unquam. Quod idem hoc eſt, quo me erigo & ſolor; niſi inflictum pectori meo uulnus omne ſpreuerit, quod hactenus ſentio, remedium. Ex quo morbus TE adfixerat lecto; diu noctuque adhaeſi TVO lateri & toties pectus tuſum & cor exſangue ſenſi; quoties, ſingultante quaſi anima, formulam iteraſti, iteraſti autem ſaepius: MEA IVLIANA VALE ET VIVE. Fuiſti nullo non tempore officioſiſſima erga tuam matrem. Quae officia praeſtas etiam nunc moribundae. DEVS compleat in TE, diuini promiſſi ſui iuſtitiam & ueritatem: *ut tibi bene ſit & ſis longaeua ſuper terram.* Verum praeſtat abrumpere, quam proſequi tragoediam: cum eadem illa ipſa ſit, quam uideo prae aliis flere & lamentari. Ceterum FIDISSIMA VXOR! neque deerimus ad iuſta TIBI ſoluenda ulla in parte, quae ad dignitatem decusque TVVM facere uidentur. Arcus ſepulchralis, qui oſſa etiam tegit PIAE MATRIS TVAE, ipſa fuiſti author conditorque; me grauisſimo tum morbo ſuccumbente. Inuiſiſti hoc *conditorium* TVVM meumque quotannis, ſemel iterumque. Neque inde rediiſti unquam; niſi ſola-

tii & hilaris animi plena: quod in tam placido & pulchro loco oſſa olim TVA fuerint reponenda. Tecta tutaque ab iniuriis ſeculi. Fueras enim, ſenſu NVMINIS perfuſa uere & adfecta & tacta eo multoties impenſe & ultra modum. Nunquam ſacra ſynaxi uſi ſumus; quin TE, multos ante dies, deprehenderem in lachrymis &, hac peracta, in animi quadam praeſentia & pectoris fiducia pleniſſima; TE DEO, interceſſore CHRISTO, pacatam eſſe; ut malles ultimo ſoicari, placida morte; quam porro uiuere & exponi humanorum lapſuum periculis. Paſtor & noſtrarum confeſſionum, quas ſymbola noſtra requirunt, auditor, SEMLERVS, *archidiaconus Vlricianae parochiae*, cui noſtrae aedes adſcriptae ſunt, ſaepius eſt mihi teſtatus: eſſe deuotionem coniugis meae ſingularem; quam gratia DIVINI NVMINIS in illa excitet abunde. Vt perſuaſiſſimus ſit; hilari mente eam morituram olim. Quod ille gaudeat in *filia ſpirituali* maximopere. Ceterum illud acerbius excruciat animum meum; quod FIDISSIMAE CONIVGI non licuerit dicere ultimum uale. Principio enim morbi, quo correpta fuerat, praeſenſerant medici nulla futurae mortis ueſtigia. Potius nil minus metueramus, quam uitae finem; minime omnium uero adeo repentinum. Verum, aliquot diebus poſt, rerum omnium facta conuerſio, prouiſa nemini. Deliquium euenerat mentis & eloquii: neque tamen ſic

C de

defuerat reconualeſcentiae ſpes; uirium ergo, quas in uenis & ſanguinis motu deprehenderant rerum periti. Verum proh dolor! fallimur omnes; caneſcit concepta ſpes; accelerat ſubita mors agitque tantum non in ſtuporem illos, qui circumſtiterant lectum moribundae. Vt ſupremae horae filum non tam ſolutum; quam ruptum neque ultima rerum linea finita, ſed fracta eſſe uideatur. Ad cumulandum dolorem noſtrum, inſolabilem ideo. QVINTVS MARTII menſis dies nobis funeſtisſimam refricabit memoriam; quo, circa *decimam* ante meridiem, caſtisſimam animam ſuam exhalauit; coelitum adſcripta conſortio. Habebit hanc gratiam pietas TVA CHRISTO, indulgentisſimo ſeruatori, probata, fidesque & candor TVVS, erga omnes, praecipue TVOS; FILIAS, GENEROS, NEPOTVLOS &, principe loco, MARITVM TVVM, luctuoſisſimo VIDVI nomine, fractum deformatumque animo & corpore. Typis redditum die XI. menſis *Martii* an. CIƆIƆCCXL.